



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 51. Quid sit & quomodo differant provisio, nominatio, præsentatio, institutio, collatio, investitura, electio, postulatio, confirmatio, admissio, possessio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

servatione in favorem, consuetudine seu privilegio optandi, regressu vel accessu ob pensionem non solutam, Coadjutoriam cum futura successione, de quibus dicemus in seqq., potestque videri *Leur.* p. 2. q. 3.

Q. 51. Quid sit & quomodo differant provisio, nominatio præsentatio, institutio, collatio, investitura, electio, postulatio, confirmatio, admissio, professio. R.

§. I. Multi ex his terminis confunduntur, & saxe sumitur unus pro altero, in rigore tamen videtur hoc modo loquendum: *provisio* est quid genericum, & significat dispositionem de beneficio in favorem alicujus, hinc qui præsentavit aut contulit alicui beneficium, dicitur illi providisse, & qui beneficium accepit, dicitur provisus de beneficio. *Nominatio* etiam est quid genericum & significat designationem unius vel plurium personarum ad beneficium, potestque fieri vi præsentationis, collationis, electio- nis, privilegii vel facultatis aliquem vocandi ad certum beneficium. Vide *Leur.* p. 2. q. 10. *Præsentatio* est exhibitio personæ beneficiandæ, facta illi, ad quem pertinet instituere. *Institutio* est attributio si- ve concessio beneficij facta ex præsentatione Patroni. *Collatio* est concessio beneficij ex solo jure & libertate conferentis, absque præsentatione Patroni. Vide *Leur.* q. 3. *Investitura* est aliquid, quo significatur jus in beneficio antea acceptum, & facultas intrandi vel petendi possessionem vacantem, sitque ordinariè, in absentia rei, per annulum vel impositionem bireti. Loco investituræ quandoque est installatio aut inthronizatio. Vide *Leur.* q. 9. *Electio* est designatio alicujus personæ capacis ad aliquod beneficium, facta per suffragia; vide *Leur.* à q. 23 r. *Postulatio* est similis designatio facta per suffragia, quâ petitur aliquis, qui per dispensationem tantum capax erat,

Leur.

Leur q. 198. *Confirmatio* electionis vel *admissio postulationis* est approbatio, quā Superior roborat electionem vel postulationem factam: unde præsentationi respondet institutio, collationi investitura, electioni confirmatio, postulationi admissio: ultimum est *possessio*, quæ supponit titulum & jus in re compleum, estque veluti positio Sedis seu pedis in beneficio, per quam habetur demum in illo quies.

301

§. II. Differentia horum colligitur ex dictis, nam 1. *electio* & *postulatio* est de uno tantum, nominatio potest esse de pluribus; sic enim quidam Reges nominant Papæ tres, è quibus unum designet in Episcopum, *Leur.* q. 200. 2. *Præsentatio* & *electio* dant jus ad rem, seu dant jus, ut acquiratur beneficium; *institutio*, *collatio*, *confirmatio* & *admissio* dant jus in re, id est, faciunt beneficium esse *acquisitum*: *postulatio* autem nullum dat jus, nequidem ad rem, & per hoc præcipue differt ab electione, *Leur.* q. 199. 3. *Institutio* & *confirmatio* electionis per hoc differunt à *collatione*, quod sunt ex obligatione, nam Superior tenetur instituere *præsentatum* & confirmare electum; è contrà *collatio* fit ex sola liberali voluntate conferentis, ex qua etiam omnino liberè & ex gratia fit *admissio postulationis*. 4. *Institutio* & *confirmatio* per hoc differunt, quod *institutio* fit de persona *præsentata*, *confirmatio* autem de persona *electa*, uti *admissio* similiter est de persona *postulata*. 5. *Præsentatio* & *electio* aut *postulatio* etiam per hoc differunt, quod *præsentatio* fieri possit ab uno, eoque laico; *electio* autem & *postulatio* fiat à pluribus & solis Ecclesiasticis per suffragia.

Hactenus dicta habentur partim in jure, partim in AA citatis apud *Leff.* de just. l. 2. c. 34.d. 3. & *Castrrop.* t. 13. d. 2. p. 1. & 12. aliosque passim.

[Q. 52.]